

5. *Quintum* præceptum privatis personis proponitur. Ubi nota, non esse manui dictum; Non occides; sed toti homini. Quatuor sunt species homicidii. 1. Occisio, quæ fit manu, vel armis. 2. Ira. 3. Gestibus inimicis. 4. Verbis sive lingua. Est tamen etiam iusta ira. *Αὐτοφονία* damnanda est.

6. *Sextum* præceptum tuetur conjugium, & damnat omnes commixtiones extra illud, & flammæ libidinum. Quare fornicatio, scortatio, stuprum, raptus, adulterium damnantur. *Adulterium est thori conjugalis violatio; simplex, personæ solutæ cum alterius conjugis; duplicata, conjugis cum alterius conjugis.* Prohibentur etiam obscæni sermones & gestus, concupiscentiæ oculorum, omnes illecebræ & occasiones, seu incitamenta ad immunditiam; intemperantia, luxus, &c. *Hic de officiis maritorum & uxorum; & totum argumentum de nuptiis.*

7. *Septimum* præceptum confirmat dominia, & possessiones bonorum; loquitur de iustitia, liberalitate, beneficentia, &c. *Quæstio. An fures suspendendi? Affirmatur.*

8. *Octavum* præceptum confirmat judicia & actiones forenses; damnat quælibet mendacia; perfidiam in dandis consiliis, violationem promissorum in pactis, depravationes artium & doctrinarum; susurriones, detractores, convitiatores, maledicos, criminatores,